

DL 12.

50

C. IVLIVS CAESAR
IVRE AN IMMERITO IN-
TERFECTVS
DISPV TABITVR
IN SCHOLA EPISCOPALI
POST MERIDIEM KALENDIS IVNIIS.
AD AVDIENDVM INVITAT
M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
R E C T O R.

CIZAE EXSCRIPSIT FRIDEM. Hetsstädt/A. 1687.

aaa.



CIVILIS CAESAR

IN AN EXAMENIO IN

TERRETIIS

EMPTABILIT

IN SCHOLA EPISCOPI

POST MERIDIUM KALENDAS

AD AVE MARIA

IN CHRISTOPHORVS CIVILIS

RECTOR

CHRISTOPHORVS CIVILIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



GRæcorum Romanorumque,
hoc est gentium sapientiæ litterarumque,
studiis exultarum consensus magnus at-
que vox vna est, nihil præstantius liberta-
te esse, nec tolerandos, qui ereptum illam irent,
aut dominatione opprimerent. Græci homines deo-
rum honores tribuerunt illis viris, qui tyrannos ne-
cauerunt. Quæ ego vidi (Ciceronis verba sunt) A-
thenis? quæ aliis in vrbibus Græciæ? quæ res diui-
nas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmi-
na? PROPE AD IMMORTALITATIS ET RELIGIONEM ET
MEMORIAM CONSECRANTVR. Videtur consularis o-
rator Hipparchi, Hippiciæ fratris, Pisistrati filii, inter-
fectores, Harmodium & Aristogitonem, cum primis
prædicasse, quorum tanta fama admiratioque apud
omnes fuit, vt Xerxes etiam statuas illorum, mirifi-
ca arte elaboratas, in Persidem asportarit, quas Seleu-
cus, vt Maximus Valerius auctor est, vel vt tradit Pau-
sanias in Atticis, Antiochus, itidem Syrorum rex, A-
theniensibus restituit: vt adeo nihil pulchrius hone-
stiusque duxerint Athenienses ceterique Græci, quam
tyrannum interfecisse. Quo Romani animo in tuen-
da libertate fuerint, idem Tullius III Officiorum,
cap. iv declarauit, cum de cæde familiarium ita dispu-
tasset: Quod potest maius esse scelus, quam non mo-
do hominem, sed etiam familiarem hominem occi-
dere? Num igitur se adstrinxit scelere, si quis tyran-
num

num occidit, quamuis familiarem? POPVLO QVIDEM ROMANO NON VIDETVR, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Testes sunt eiecti Tarquini, oppressi fratres C. & Tib. Gracchi; Sp. Mela, L. Saturninus, M. Fulvius, omnes tyrannidis suspicionem interfecit, quorum pœna L. Brutus, P. Scipio P. M., C. Seruilius Ahala, L. Opimius, aliique horum æmulatores, immortalem gloriam consecuti sunt. C. Iulii Cæsaris cædes validiore idem testimonio confirmat, qui potentia, mansuetudine, beneficiis ingentibus stabilisse sibi imperium videbatur, nec tamen ita firmaverat, ut insidias coniuratorum effugere potuisset. Hic ille campus est, in quo par discipulorum non inexercitatum ultimo depugnare & rude donari exoptat, ut alio loco maiora certamina inire, & palmam deportare nobiliorem possit. Est quidem, quod vereamur, ne multis materia adolescentum ingenio maior, saltim alienior a scholæ umbra videri possit; aut etiam, quod tristis & funesta, parum grata auditoribus futura sit; nihilominus tamen, quam ipsi elegerant, nolimus immutare, præsertim quod eiusmodi est, quæ in Ciceronis libris, quos assidue versare adolescentem debent, utramque paginam, ut aiunt, conficit. Nec olim tyrannicidium in umbra & ludo inauditum fuit, ut ex Senecæ, Quintiliani, Calpurnii Flacci declamationibus manifestum est. Tantum vero abesse putamus, ut C. Cæsaris necem ita disputaturi sint, quo quidquam officio & obedientiæ imperiorum derogasse videri possint, ut potius summa fide parendum iis esse probaturi sint, quos vel ipsa reipublicæ mutatione diuina providentia constituerit. Sic enim operam diuiserunt suam CHRISTIANVS FRIDERICVS

Wch

Behner / & ALBERTVS CHRISTIANVS LVDO-
VICI, Altenburgenses, hic summi viri & patroni no-
stri; ille collegæ amicissimi filius, vterque spei haud
vulgaris adolescens: sic, inquam, operam diuiserunt,
vt alter ex Romanis monumentis prolaturus sit, quæ
Cassius & M. Brutus, horumque sectatores, & ipse Ci-
cero de Cæsare interfecto libere censuerunt: alter ex
euentu additurus, quæ ex diuina prouidentia pro Cæ-
sare pie modestèque disputari possunt. Sed quod ipsi
fusa accurateque, quidquid huius causæ est, edisse-
rent; nihil de nece Cæsaris adiungo: de non dissimi-
li autem quæstione, quam hodie Ecclesia pertractat,
non nihil, vt moris est, antequam aduocemus audi-
torium, præmittemus. Dum fata Seruator Apo-
stolis prædicit, fore ait, vt qui ipsos occiderit, putet
Deo se λατρείαν προσφέρειν, quod dum Syrus vertit
الذبا للذبا oblationem siue sacrificium Deo
offerre, in mentem venit non modo funestæ quæstio-
nis, an hæretici aut in religione dissentientes, interfi-
ciendi sint; sed similibus etiam locutionum, quas apud
profanos scriptores obseruauimus. Illico succur-
rebat illud Senecæ Herc. Fur. actu IV

- - - *Victima haud vlla amplior*

Potest, magisque opima mactari Ioui,

Quam rex iniquus.

Et quod Pausanias in Arcadicis f. 241 de Philippo A-
myntæ, Macedoniæ rege prodit, cui de Persico bello
confulenti, Pythia respondisse dicitur:

ἔστῃται μὲν ὁ ταύρος, ἔχει τέλει, ἔστιν ὁ θύων.

Coronatur taurus, finem habet, adest qui mactet.

Sic iure cæsos tyrannos appellitauerunt victimas, diis
gratas atque acceptas. Vtinam vero hi soli fuissent,
quos

quos ita immolauerunt gentiles homines, neque in innocentissimos Christianos eodem prætextu sæviissent! Atrocissimæ vexationis Christianorum, sub Diocletiano factæ, huiusmodi monumentum Cluniæ in Hispania exstat:

DIOCLETIAN. CAES
AVG. GALERIO. IN ORI
ENTE. ADOPT. SVPER
SATIONE. CHRIST
VBIQ. DELETA. ET. CVL
TV. DEORVM. PROPAGATO

Et alio eiusdem oppidi lapide sub eorundem principum imperio inciso:

NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT

Ex quibus, & sexcentis horum similibus testimoniis, quæ in historiis ecclesiasticorum prostant, luculenter apparet, persuasos fuisse paganos, diis suis, quos colebant, se inprimis gratum cultum præstare, si christianos, vt noxios homines, & auitæ religionis contemtores, exstinguerent, horumque sanguine expiant & crimina & pœnas Romani imperii. Deploranda in ethnicis cæcitas: in christianis, qui ethnicos secuti, in diuerse sentientes ferro, flammis animaduertunt, detestanda prorsus est & omnibus diris deuovenda. Quantam enim barbariem putatis, ferro & supplicii cogere, vt quis vera credat esse, quibus nos fidem addiximus: improbet, quæ a vero nobis videntur aliena? Argumentis opus est ad persuadendum, non equuleo, securi, ignibus, quibus corpori quidem imperari potest: animus conuinci non potest. Mitiores illis hodie videri volunt, qui aditum ad honores præ-

præcludunt iis, quos a sua opinione deprehendunt,
 alienatos: eripiunt docendi discendique facultatem:
 ciuilibus interdiciunt negotiis. Sed nomina mutantur:
 res æque atrox manet, ac fuit tristissimis temporibus
 Christianorum. Quanto enim hi homines interuallo ab
 Iuliano, gentilium peruicacissimo imperatore, distant,
 de quo Eutropius refert, quod nimius religionis christi-
 anæ insectator fuerit, perinde tamen, vt abstineret
 cruore: Zonaras, quod Christianos prohibuerit τὸν ἐξ-
 ἑθνικῶν μελέχων μαθημάτων, id est scholis ar-
 cuerit: Sozomenus [lib. v. cap. xv. al. xvi] quod christi-
 anorum ritus in deorum cultu imitatus fuerit, vt
 imperitiores circumueniret facilius. Quæ quam prope
 absint a moribus nonnullorum hodiernis, quilibet
 intelliget, qui tempora comparabit. Non hoc christi-
 anum est, sed paganum, impium, immo Turcicum.
 Turcis enim impostor Mohammed crudele hoc præceptum
 Surata ix Alcorani, quæ التوبة titulum, id est de
 pœnitentia præfert, in perniciem & excidium Christianorum
 dedit, قتلوا الذين لا يؤمنون, *occidite eos, qui non
 credunt.* Christianos autem tanquam infideles atroci
 morti destinari, ex verbis eiusdem Suratæ elucet,
 قتلوا المشركين, *occidite adsociantes,* id est, qui
 societatem in Deitate siue Trinitatem, vt ipsi interpretantur,
 professi sunt. Quam appellationem cum Iudæis fere
 communem faciunt. Quemadmodum enim Turci quotidie
 ingeminant illud tritum, quod labaro etiam siue
 vexillo maiori, Viennensi obsidione nuper amisso,
 vt gentis symbolum inscriptum erat, لا اله الا الله
 محمد رسول الله Non est Deus


Deus, nisi vnus Deus, & Mohammed est legatus eius;
 ita Iudæi simili symbolo, hoc est verbis AVDI ISRAEL &c.
 sed prave intellectis & contra S. Trinitatem detortis,
 gloriantur, indeque sibi cognomen חייסדים *unificantium*,
 id est vnam personam in Deitate adorantium, non si-
 ne fastu & singulari superbia adfingunt. In Seder e-
 nim Tephilloth p. 31 ita precantur, זכור וקח אום חייסדים
 יום יום Recordare & miserere populi *unificantium* nomen
 tuum bis diebus singulis. Et p. 32. אל יאכזר נוי אדם חייסדים זקן Ne
 pereat gens vna, *unificans* nomen tuum: & pag. 20. לזכור
 לזכורך בלבבך ad *confutendum* tibi & ad *unificandum* te in dilectione.
 Tam amice contra Christianos Iudæi & Turci conspi-
 rant, nec mitiorem illis animum fore, si potestas non
 deesset, ex Messia, quem præstolantur, exoptatis expe-
 ctatisque victoriis, qui cunctos christiani nominis ho-
 mines deleturus sit, manifestum est. Ex quibus tan-
 dem colligimus, non Christi præ se spiritum ferre, sed
 paganos, Iudæos, Turcos imitari, quicumque vel ar-
 mis & suppliciis, vel honorum, immunitatum, sacro-
 rum, aliarumque carissimarum rerum spoliatione ho-
 mines adigunt, vt quod erroneum esse vident & per-
 suasi sunt, pro vero amplectantur. Ad declamatores
 nostros reuertimur, iisque vt coronam auditorum,
 splendidiorem conciliemus, nihil intermittimus, quod
 vel precibus & obseruantia possumus, vel officiorum,
 non quidem nostratium, quæ scimus exigua esse, sed
 venerabilis potius Antistitis, pollicitatione, qui care æ-
 stimabit, quidquid ad filium, de quo sperat optime,
 accendendum, a singulis conferetur. Nos & huic &
 commilitoni, rite & auspicato discessuris, omnia adpre-
 camur, quæ ad spem, quam concitarunt, sustinen-
 dam tuendamque faciunt. PP. Cizæ prid. Kal. Iun.
 CIO ICQ LXXXV.


Nr 3165

S 80

WMA

110





50

CAESAR
ERITO IN-
VS
ITVR
PISCOPALI
ENDIS IVNIIS.
INVITAT
S CELLARIVS,
R.

Hetfstadt / A. 1685.

aaa.

